

stus erit; Signa fore fateor, minimè nego, & porrò credo. Sed pernego hæc ipsa signa esse Cometas. Quæ Christus prædixit sine dubio futura sunt: quo uerò tempore solus Deus id nouit.

Os leuius filij tui optime indolis Magister quærit hûc in modû acutè ac piè: Si Christus, famem, terræ motus, pestem præcessura dixit Hierosolymæ vastationem, cur dicam non ostenta, nō signa hæc esse. Ad quæ respōdeo, in physica disputatione parum apta esse illa quæ colliguntur ex libris diuinis: Credenda illa esse, nō disputanda. Et cum artes aduersa habēt principia, non esse ullo modo eas confundendas. Ego definiui, fortasse non insulsè portētum, id quod per se nec bonum, nec malum est: neq; mali effectus causa princeps, sed solum signū damni futuri. sūt enim signa iræ in homine toruus aspectus, inflatq; buccæ, spiritus uehemens. Plagas hæc omnia minatur, sed plagæ non sunt, aut ferula, nec manus. Quo fit, ut qui dicit humani generis dolores, morbos, ærumnas esse ostēta & iræ diuinæ nūcios, is perinde fallit ac si dicat ictus & plagas esse iræ nostræ indicia præcedentia. Ergo fames, pestis, bellum ostenta non sunt: plagæ sunt enim, & vexationes ingētes. Vulnus enim nō portēdit iram, sed ipsa sunt effecta iræ, cuius indicia timēda non sunt, ipsi dolores in præsentia nos affligentes.

At enim signa dicuntur à Dei filio. scio dicta. Neq; illa dubito fuisse. Quare dico Christū nō ppriè (neq; em̄ Grāmaticè, aut philosophicè loquebat̄) signi uim accepisse. Mitto illud, me de generali portento differere, physicoq; modo ac sensu: tu autem Osleui ad ipsos Teologos confugis, qui vna obiecta fide mihi os obstruunt, & manus & pedes colligāt. Et cum de uniuerso genere portentorum & Cometarum ago, tu de certis et singularibus mōstris contendis. Singularia hæc tua sunt, mi amantissime frater, quæ ab vno Christo habemus: qui ea omnia nō solum præfari, sed efficere quoque, sine natura, atq; adeò in vita eadem facile potest,

I Nec